



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm SS. Galationis & Epistimes: Ex ea quæ est per Metaphrasten.
Paßi sunt anno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio. Sede vacante:
Decij Imperatoris anno primo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

fidei in eo feruor, vt infatiabili ardore, quo plus corpori distractionis intulisset, inferre plus cuperet: & ita erant augmenta meritorum eius, incitamenta profectiu. Amor quippe Dei reficere animum potest, satiare desiderium non potest: sed magis magisque cum hauritur inflammat. Lucunditate enim, sui excitat appetitum, sed non facit de satietate fastidium. Igitur beatissimus Amantius rebus tandem humanis exemptus, felici transiit de hoc mundo migravit in regnum caelorum. Illic nunc interest choris Angelorum: hic fulget claritate meritorum. Illic interpellat pro famulis voce supplici: hic tuetur famulos virtute sublimi. Illic petit: hic praestat. Illic vota fundit: hic votis respondet. Porro beatus Quintianus successor eius egregius, sacras eius reliquias transtulit in Basilicam auctiorem redditam: in eius honorem prius excitatam.

Admirabilis sensus feruor.

Sententia memorabilis.

Felicissimus eius obitus. Sicut intercedunt pro nobis in caelis.

Translatio reliquiarum eius.

a Eius vitas reperiet lector 13 Nouemb.

MARTYRIVM SS. * GALATIONIS

& Epistimes: Ex ea qua est per Metaphrasten. Passi sunt anno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio. Sede vacante: Decij Imperatoris anno primo.

EMESA nobilis in primis Pheniciae est ciuitas. In ea Clitophon genere insignis & diuicijs nulli ciuium secundus, cum coniuge sua Leucippe splendide quidem & gloriose degebat, sed vna in re omnium miserrimus, quod vxore sterili nullam omnino posteritatis spem sibi relictam videret. Qua de causa multis

** al. Galationis & Epistemis. Vide Tom. 2. Annal.*

C. Baron. 5. Nouemb. Parentes S. Galationis.

multis frequenter opprobrijs coningem appete-
tebat: quæ magni animi ægritudine concabes-
cens, nihil non moliebatur, vt sterilitatis so-
luta vinculis, pulchram marito prolem ex-
beret.

*Persequitur
Christiani.*

Cùm verò eadem tempestate, Secundus, ci-
uitatis Emesæ gubernator animo planè barba-
ro, tyrannica ferocitate Christianam pietatem
radicitus excindere conaretur, pij ferè omnes
imminentis periculi magnitudine percussi, fu-
ga sibi salutem comparabant. Vnus verò, no-
mine Honofrius, habitu ac professione mona-
chus, in tali tempore ac tempestate pericitan-
tes imbecilliorum animas deserere, nequa-
quam viri pij, & in religionis studijs enutriti
esse statuens, mutato habitu callidè impia-
tem eludere, & imbecilliores Christianorum
animos in fide confirmare aggressus est. Ita-
que mendicitatem simulans domesticam sti-
pem postulabat, vt alios veris thesauris locu-
pletaret.

*Honofrius
insignis mo-
nachus cõtra
gentiles e-
gregiè de-
certat.*

*Simulat mē-
dicitatem
vt lucretur
animas ho-
minum.*

Cùm ergò ad Clitophontis aliquandò ædes
veniret, manusque pro elemosyna extende-
ret, accidit vt Leucippe mœroris & tristitiæ
plena Honofrio fores occluderet, & quadam
cum indignatione à se repelleret. Illo autem
lachrymabili voce instante, & necessitatem
suam multis verbis exaggerante, mulier mise-
ricordia mota, suam vicissim calamitatem ei
exposuit; adiecitque quòd nullus deorum in
illum vsque diem inuentus esset, qui sterilita-
tis opprobrium sanare posset. Cui Honofrius
Nihil, inquit, mirum, ò matronarum præstan-
tissima; quòd hætenus remedium ab ijs conse-
qui

qui non potuisti, qui in vita dedecore & probro pleni, nefanda semper opera exercuerunt. Sed si nunc dictis meis obaudiés, Omnipotentem & verum Deum velis agnoscere, & ab eo opem postulare, equidem spódeo te voti mox compotem futuram.

Leucippe attendens mentis cōsideratione eam orationem excipiens, spe concipiendæ prolis, catechesi se imbuendam tradidit: qua imbuta, *Leucippe conuertitur ab Honofrio.* salutari regenerationis lauacro expiata est.

Nec multò post soluta sterilitatis vincula, certam prolis spem fecere: ita ut maritus gravidam eam cognoscens, ad libanda dijs suis sacrificia pro gratiarum actione properare vellet. Quem mox pia coniunx ab opere nefario reuocans; Vide, inquit, nè feceris; non enim demonum, quemadmodum tu existimas, sed Dei cæli terræque conditoris beneficio in vtero concepti. Exposuit deindè totam conuersionis suæ seriem; hortataque est maritum ne eadem Christi gratiam ad æternæ vitæ salutem necessariam negligeret. Paruit rectè monenti Galation, *Item Galation maritus eius.* lustratusque similiter ab Honofrio, haud pœnitendos in Christiana religione fructus fecit.

Post hæc Leucippe filium enixa est; qui à patris nomine, nomen sortitus, breui ætatem ingenio superabat. Erat ei præclara admodum & præstans indoles; qua ipsos etiam magistros suos, quibus instituendus erat traditus, à tergo relinquebat. Cùm autem annum quartum & vicesimum attigisset, pater, matre iam tunc defuncta, *Epistemes eius coniunx pagana.* Episteme insigni pulchritudine & morum honestate virginem ei despondit: quam

Ee ille

ille vitæ quidem sociam admisit, sed corporis coniunctionem semper exhorruit. Quod cum illa ægro admodum animo ferret, die quodam illa odij causam sola cum solo residens quæruit. Cui Galation id quod res erat exposuit; impium sibi & nefandum videri asserens, mundi cum immunda, coniungi. Itaque si vellet optato matrimonij fructu potiri, ilicò animum ab idolorum cultu ad sanctissima Christi sacra adiungeret; vnaq; secum eandem religionem piè ac sincerè coleret.

*Epistemes
conuertitur
& baptiza-
tur à mari-
to.*

*Distribuunt
sua pauperi-
bus & ere-
mum petunt.*

*Decim eos
comprehendi
& acriter excru-
siat.*

Nihil recusauit Epistemes; quin ilicò ferotam sanandam præbuit, animamque salutaribus lymphis ipsi suo marito (nam copia sacerdotis deerat) lustrandam commisit. His ita peractis, vterque flamma diuini amoris vehementius correptus, carnali copula repudiata, eremum cogitabat: prorsus vt paucis post diebus res suas omnes pauperibus distribuerent, & vitam solitariam in monte Publico, haud procul à Sina eligerent. Et Galation quidem monachorum contubernio iunctus fuit: Epistemes verò quatuor virginibus sanctitate conspicuis se sociauit.

Triennio autem à suscepto illo nouæ vitæ instituto, Imperator (is erat Decius) ingenti persecutionis tēpestare ecclesiam concussit, & inter alios Galationem & Epistemen victos suo tribunali sisti iussit. Ij igitur in præsidis cōspectum pariter adducti, primò quidem flagellis acriter cæsi sunt: Deindè cum in Christi confessione constantes permanerent, ipsumque tyrannum contemptui haberent, alijs atque alijs affecti supplicijs, tandem manibus pedibusque

bu' que truncati, ipsa etiam lingua, ne Christi nomen laudibus extolleret, privati sunt. *Postremo cum nihil ab insita animi virtute & constantia remitterent; capite plexi V. Novemb. martyrij palmam adepti sunt.*

VITA S. LEONARDI CONFESSORIS: *Vide C. Baron Notat. in Martyrol. Roman.*
Ex ea que est apud V. P. Laur. Sur. Migravit e corpore anno Domini 559.

BEATVS Leonardus sub Athanasio Imperatore, claris & magne apud Regē Clodouem dignitatis & auctoritatis natus parentibus, à beato Remigio Rhemorum Episcopo, susceptore Clodoueo, baptismo illustratus est. Qui in ipso adolescentiæ robore, terrena Regis militia cum primis honorata, amore celestium spreto, ad spiritualis militiae castra, sub B. Remigio stipendia facturis confugit. Vbi in primis illud à beato patre tenacitate est complexus, vt statueret misericordiae operibus nihil in hac vita pulchrius, nihil suauius, nihil Deo hominibusq; gratius esse. Itaque ad præceptoris sui exemplum, à Rege obnixè petijt, obtinuitque, vt quotiescunq; in vincula coniectos inuiseret, eos libertate donare posset: Igitur eo fretus benefico quotidie ergastula sedulus obire, & innumerabilem hominum multitudinem in libertatem asserere. Quotam præclaro facto, & alijs benignitatis, quæ indefessè exercebat, operibus, cum fama eius miro omnium præconio celebraretur, tum ipse Rex pontificia cum dignitate ornare voluit: quod ille munus modestè recusauit.

6 Nouēb.

Genus eius clarissimum

S. Remigij via habetur 1. Octob.

Totum se tradit operibus misericordiae: specialiter liberandis captiuis

Recusat Episcopatum